



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theorema, De Fidei Christianæ Definita Mensvra, Et An  
Haec Sit Sola Scriptvra Canonica**

**Pistorius, Johann**

**Coloniae, 1590**

**VD16 G 3811**

Illvstri Et Generoso Domino, D. Marco Fvggaro, Baroni In Kirchbergk Et  
VVeissenhorn &c. Caes. M. Consiliario, Domino suo humiliter colendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43333**

# ILLVSTRI ET GE- NEROSO DOMINO, D.

MARCO FVGGARO, BARONI IN  
KIRCHBERG ET VVEISSENHORN &c.  
CAES. M. CONSILIARIO, DOMINO  
suo humiliter colendo.

**B**ennium penè iam est, Illustris & generose D. Baro, cum Doctor Ioannes Iacobus Grynaeus, de verbo scripto disputationem in publicum Basilea proferri iuberet. Eā ab amicis ad me perlatam, cum propter me publicatam esse nuntiaretur, brevissimè statim confutandam esse putauit: non quòd sic scripta esset ut confutationem postularet: sed ut tum errorem Viro aliquin docto & amico veteri monstrarem, in quem per incogitantiam deuenisset: tum subsidium aliquod Hæreticis afferrem, cuius ad miniculo attollere oculos & aspicere ad veritatis nostra lucem possent. Itaque paucas horas in Grynai disputationē impendi: & primū docui quā absurdè ex istis principijs, ex quibus vel nihil ad questionem pertinens, vel contrarium consequitur,

A 2 tur,

tur, argumentationem suam conclusisset Gryneus. deinde partes omnes singulariter sub examen subieci, & vanitatē totius Hæretici fundamenti paulo explicavi plenius: non quidem ut quæstionis dignitas requirebat: sed quousque tanquam manu ducebat libido Grynei. Tamen quod rurus ab Amicis significaretur, nouā à Grynao magis elaboratam istius quæstionis tractationem parari, in qua plus studij ponere cogitaret ad maculam eluendam prioris incuria, & ad magis honestandum nomen suum: volui ut velitatio ista prima mea, quæ tantum in Grynaum & in huius disputationem directa, rem totam de qua controuersamur, in omnes controversias non perpendit, inter chartas alias meas tamdiu retinetur, donec in publica luce melior à Grynao scriptio appareret.

Sperabam enim, si vel manum ille subsidiariam nouam ad copias sustinendas priores mitteret, vel rem maiori artificio magisq; serio ad deliberationem reuocaret, futurum, ut res tanta quæ omnium controuersiarum inter nos & Hæreticos tanquam caput est, nostra dimicazione ad summam perspicuitatem illustraretur. Verum

cum

## DEDICATORIA.

5

cum nimis diu procrastinaret Grynaus, & ami-  
ci vehementer urgerent, ut tandem ea qua celer  
rimè respondisset, subijcerem sub hominum aspe-  
ctum: an fortassis ex latebris in quibus se occul-  
tat, extrahi Grynaus, & deinde res uniuersa ple-  
nissimè contra Hæreticos tractari posset: visum  
mihi fuit voluntati eorum gerere morem: & si-  
mul libellum sub nomine illustris Domin. tua re-  
ferre in apertum: quod illam non agrè laturam  
esse prorsus confido: Multæ enim erant maxima-  
q; causa cur facerem. Splendor familia: Propensio  
in Viros doctos: Authoritas, quam apud Cæsar.  
Maiest. & Reges Christianos consecuta ad sum-  
mam gloriam virtute fuit, prudentiaq; sua: Pra-  
stantia doctrina & virtutum omnium: Amor  
Catholicae Religionis maximus; quæ omnia quia  
in illustri Dom. tua clarissimè lucere videbam,  
postquam per totam Germaniam animum atq;  
oculos circumtulisse, vidi profectò neminem,  
in cuius patrocinium, pro veteri consuetudine,  
rectius librum traderem, quam in illustris Do-  
min. tua: præsertim cum ad gratiam & benevo-  
lentiam respexi, quam non tantū præsentim mihi,  
cū per urbem vestrā iter facerem humanissimè

A 3 tribuit.

6 EPIST. DEDICAT.  
tribuit, sed hactenus etiam in literis illustravit,  
& multis significationibus uberiorem fecit.

Accipiat igitur clementer grati animi testimoniū, quantum à tenuitate mea iam profici potuit: non illud quidem dignum amplitudine Dom. illustris tuus: tamen non fortassis ineptum ad meam, qua illam humiliter colo, testandam obseruantiam.

Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, misericordia Germaniam in errorem projectam, pro infinita misericordia sua in viam reducat: & Dominus. illustrem tuam florentem omnibus corporis & animi commodis diutissimè in fortuna & aquabili cursu conseruet. Datum Friburgi Brisgoiae 4. Iulij. Anno 90.

Domini. illustris & generosæ tux studio-  
sissimus, & obseruantissimus

Ioannes Pistorius Nidanus D. Serenissimi  
Bauariae Ducis & illustriss. March.  
Badensium Consiliarius.